



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Libellvs De Principalitate Romanæ Ecclesiæ

Roth von Schreckenstein, Hieronymus

Ingolstadii, 1550

VD16 R 3252

Confirmatio Ex Probatissimis & fide dignis Historicis & Autoribus Romanam Ecclesiam à Petro & Paulo Apostolis esse fundatam & constitutam, atq[ue] mendacium impudentissimum esse Petrum nunqua[m] ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-30126

DE PRINCIPALITATE

quod prius dixerat, fides uestra annuntiatur uniuerso m^odo. Nempè ea obedientia quam Romani Christo & Diuo Paulo præbuerunt, diuulgata est in omni loco. Ad Romanos enim tum temporis omnes Reges & Populi respiciebant, & cum ipsi potentissimi totius orbis iam essent obedientes CHRISTI facti, ad illam Ecclesiam principalem omnes aliæ Ecclesiæ quibuscumq; locis constitutæ respiciebant, & hanc intuebantur tanquam urbem quæ totius orbis gubernacula tenebat. Elegantius autem noua translatio illud exprimit, cum dicit, Obedientia uestra ad omnes permanuit. Quid dilucidius dici potuisset, quam ex urbe Romana fidem Christianam ad omnes peruenisse. Necesse est igitur eandem fuisse Ecclesiam principalem ex qua fides Christiana ad alias permanuerit Ecclesias.

¶ Ultimo pius Lector hic considerabit, quod Romana Ecclesia uoce Dñi nostri Iesu Christi, est constituta e. quibus 21. distinct. & Math. 15. cap. sed quia inferius de Potestatis cõessione & clauium traditione & de Confirmatione ex iure Canonico peculiaria capita de hac re scripsimus in dicasse nunc sufficiet, ut pius lector ea quæ de Traditione clauium & potestatis concessione, traditione Cathedræ in medium adducemus, huc etiam accommodare poterit.

CONFIRMATIO EX PROB
atissimis & fide dignis Historicis & Autoribus Romanam Ecclesiam à Petro & Paulo Apostolis esse fundatam & constitutam, atq; mendacium impudentissimum esse Petrum nunquam fuisse Romæ.

Eusebius

ROMANAE ECCLESIAE.

EVSEBIUS PAMPHILI

Cæsariensis scribens de Anno domini 44.

& Claudij secundo, inquit.

PETrus Apostolus natione Galileus, Christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Euangelium prædicans 25. annis eiusdem urbis Episcopus perseverat.

Deinde de Anno 50.

Primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos facit, in qua Petrus & Paulus gloriose Romæ occubuerunt.

BEDA DE TEM

porum ratione.

Primus Nero super omnia scelera sua etiam Christianos persequitur, quorum eximios Romæ, Petrum cruce, Paulum gladio occidit.

REGINO.

Scinus enim Petrum & Paulum Apostolos Anno post Ascensionem Domini 38. Id est ultimo Nerontis, passos fuisse & Beatum Petrum Romæ 25. annis Episcopalem sedisse Cathedram.

Ex Ca